

Marci Tullij Ciceronis.

Rhomani principis eloquij: Lelius: siue de amicicia dialogus: sententiarū vbertate ad modum conspicuus: et lectu iucundissimus.

¶ Ad Lectorē Tetrastichon

Si famā cupias et fidi nomen amici
Munus amicicie si bene nosse velis
Hec lege facundo docuit que Tullius ore
Sic Pylades vel sic fidus Orestes eris.

Marci Tullij Ciceronis Lelius : siue de Amicicia dialogus ad Titũ Pomponiũ Prefatõ.

Vintus Mutius Augur Sceuola mlta narrare de Caio Lelio socero suo memoriter ⁊ iucunde solebat nec dubitare illũ in omĩ sermone appellare sapientẽ. Ego aũt a patre ita erã deductus ad Sceuolã sumpta virili toga : vt quoad possem : et liceret : a senis latere nunq̃ȝ discederem. Itaqȝ multa ab eo prudenter disputata : multa etiã breuiter et cõmode dicta memorie mandabã : fieriqȝ studebã indies eius prudentia doctior. Quo mortuo me ad pontificẽ Sceuolã contuli. quem vnũ nostre ciuitatis et ingenio et industria prestãtissimũ audeo dicere. Sȝ de hoc alias. Nũc redeo ad augurẽ. Cũ sepe multa narraret : tũ memini domi in hemicido sedentẽ (vt solebat) cũ et ego essem vna : et pauci admodũ familiares : in eũ sermonẽ illũ incidere : q̃ tũ fere multis erat in ore. Meministi enĩ profecto (vt opinor) Attice. ⁊ eo magis : q̃ Publio Sulpitio vtebare multũ : cũ is tribun⁹ plebis capitali odio a Quinto Pompeio (qui tũ erat cõsul) dissideret : quicũ coniũctissime et amãtissime vixerat : quanta esset hoĩm vel admiratio vel querela. Itaqȝ tũ Sceuola : cũ in eã ipaȝ mentionẽ incidisset : exposuit nobis sermonẽ Lelij de amicicia habitũ ab illo secũ : et cũ alio genero C. Fannio Marci filio : paucis dieb⁹ post mortẽ Affricani. Cuius disputatiõis sententias memorie mandaui : quas in hoc libro exposui meo arbitratu. Quasi enĩ ipos induxi loquentes : ne inq̃ȝ et inq̃t sepius interponeretur. Atqȝ ideo feci : vt tanq̃ȝ a presentib⁹ corã haberi sermo videretur. Cũ enĩ mecũ sepe ageres : vt de amicicia scriberem aliquid : digna mihi res : tũ oĩm cognitione : tũ nostra familiaritate : visa est. Itaqȝ feci : nõ

Ciceronis dialogus.

Amittis: vt ꝓdessez multis tuo rogatu. Sed vt in Catone maiore feci(qui est scriptus ad te de senectute) Catonē induxi senē disputantē: qr nulla videbat aptior ꝑsona: qua de illa etate loqueretur: qz et q̄ et diutissime senex fuisset: et in ipa senectute pre ceteris floruisset. Sic cū accepissemus a patribus maxime memorabilē C. Lelij et P. Scipionis familiaritatē: C. Lelij ꝑsona visa est ydonea fuisse: que de amicicia ea ipa dissereret: que disputata ab eo meminisset magister meus Sceuola. Genus aūt hoc sermonū positū in hoīm veterū autoritate: et eorum illustriū plus: nescio quo pacto: videt̄ habere grauitatis. Itaqz ipe mea legens: sic afficior interdū: vt Catonē non me loqui existimē. Sed vt tū ad senē: senex de senectute: sic in hoc libro ad amicū amicissimus de amicicia scripsi. Tū est Cato locutus quo erat nemo fere senior tp̄ibus illis nemo prudentior: nūc Lelius et sapiens: sic eīn est habit⁹: et amicicie gloria excellens: de amicicia loquit̄. Tū velim a me animū parump auertas: Leliū loqui ipm putes. C. Fannius et Qu. Mutius ad socerū veniūt post mortem Affricani: ab his sermo orit̄. Respondet Lelius cuius tota disputatio est de amicicia: quā legens tu ipe cognosces. ¶ Fannius. Sunt ista vera Leli: nec eīn melior vir fuit Affricano quisqz nec clarior. Sz existimare debes oīm oculos in te esse coniectos: vnū te sapientē et appellāt et existimāt: attribuebatur hoc mō Marco Catoni. Scim⁹ Leli Acciliū apud patres nostros appellatū esse sapientē. Sed vterqz alio quodā mō. Acilius qr prudens esse in iure ciuili putabat̄. Cato qr multaꝝ rerū vsum haberet: multaqz eius et in senatu et in foro: vel ꝓuisa prudenter: vel acta constanter: vel responsa acute ferebant̄. ꝓpterea quasi cognomē iam habebat senectute sapient⁹. Te aūt alio quodā mō nō solū natura et morib⁹: verū etiā studio et doctrina esse sapientē. Nec sicut

vulgus : ſ; vt eruditi ſolent appellari ſapientē : qualē in Grecia reliqua neīem
Nā q̄ ſeptē appellant : eos q̄ iſta ſubtili⁹ querūt in nūero ſapientū nō habent
Athenis vnū accepim⁹ : ⁊ eū quidē etiā Apollinis oraculo ſapientiſſimū iudi-
catū : hanc eſſe in te ſapientiā exiſtimāt : vt oīa tua in te poſita eſſe ducas :
humanoſq; caſus vtute inferiores putes. Itaq; ex me querūt : credo ⁊ ex hoc
itē Sceuola : quo nā pacto mortē Affricani feras : eoq; magis q; his primis
nonis : cū in ortos Decij Bruti auguris cōmentandi cauſa (vt aſſolet) veniſ
ſemus : tu nō affuiſti : qui diligentiſſime ſp illū diē et illud mun⁹ ſolitus eſſes
obire. ¶ Sceuola. Querūt quidē C. Leli multi vt eſt dictū a Fannio. ſ; ego id
reſpōdeo : q; aīaduerti te dolorē quē acceperis : tū ſummi viri : tū amiciſſimi
mortē ferre moderate : nec potuiſſe nō cōmoueri : nec fuiſſe id hūanitatis tue.
Q; aūt ijſ oē nonis in collegio noſtro nō affuiſſes : valitudinē cauſaʒ reſpon-
deo : nō meſticiā fuiſſe. ¶ Lelius. Recte tu quidē Sceuola et vere. Nec eñ ab
iſto officio : qd̄ ſemp vſurpaui cū valerē : abduci incōmodo meo debui. Nec
vllo caſu arbitror hoc conſtanti hoīi poſſe ptingere : vt illa intermiſſio fiat
officij. Tu aūt Fanni q̄ mihi tantū tribui dicis : quantū ego nec agnoſco nec
poſtulo : facis amice. Sʒ vt mihi videris nō recte iudicas de Catone. Aut eñ
nemo (qd̄ quidē magis credo) aut ſi quiſquā eſt : ille ſapiēs fuit Quō eñ (vt
alia omittā) mortē filij tulit. Meminerā Paulū : viderā Caiū : ſ; hi nec com
pant Catoni maximo et ſpectato viro. Quāobrē caue Catoni anteponas ne
iſtū quidē ipm : quē Apollo (vt ais) ſapientiſſimū iudicauit. Hui⁹ eñ facta :
illius dicta laudant. De me aūt (vt iā cū vtroq; loquar) ſic habetote. Ego ſi
Scipionis deſiderio me moueri negē : q̄ʒ id recte faciā viderint ſapientes : ſed
certe mentiar. Moueor eñ tali amico orbat⁹ : qualis vt arbitror nemo vnq̄

erit: et vt confirmare possum nemo certe fuit. Sed nō egeo medicina: me ipse
consolor: et maxime illo solatio: q eo errore careo: quo amicoꝝ discessu pleriq
angi solent. Nihil mali accidisse Scipioni puto: mihi accidit si quid accidit.
Suis aūt incōmodis grauiter angi: nō amicū: ſ seipm amantis est. Cū illo
vo q̄s neget actū esse preclare? nisi eñ (qd ille mīme putabat) imortalitatē
optare vellet: q̄d nō est adeptus qd homi fas esset optare. Qui summā spem
ciuiū: quā de eo iā puero habuerāt: ptinuo adolescēs incredibili vtute supe-
rauit. qui consulatū pecijt nunq̄: factus est consul bis: primū ante tempus
iterū sibi suo tempe: reip. pene sero: qui duab' vrbibus euersis inimicissimis
huic imperio: nō mō presentia: verūetiā futura bella deleuit. Quid dicam de
moribus facilimis: de pietate in matrē: de liberalitate in sorores: bonitate in
suos: iusticiā in omēs. hec nota sunt vobis. Q̄m aūt ciuitati carus fuerit: me
rore funeris indicatum est. Quid igit hunc paucoꝝ annoꝝ accessio iuuare po-
tuisset. Senectus eñ q̄uis nō sit grauis: vt memini Catonē vno anno ante
q̄ mortuus est: mecū et cū Scipione disserere: tū aufert eā viriditatē in qua
etiā nunc erat Scipio. Quāobrē vita quidē talis fuit: vel fortuna vel gloria:
vt nihil posset accedere. Moriendi aūt sensū celeritas abstulit. quo de genere
mortis difficile dictu est: q̄d hoīes suspicent videtis. Hoc tū vere licet dicere:
Publio Scipioni ex multis dieb' (quos in vita celeberrios letissimosq vide-
rit) illū diē clarissimū fuisse: cū senatu dimisso domū reductus ad vesperā est
a patrib' conscriptis: populo Romano: socijs et latinis: pridie q̄ excessit e
vita: vt ex tā alto dignitatis gradu ad superos videat potius q̄ ad inferos
peruenisse. Neq eñ assentior his qui hec nup disserere ceperūt cū corporib simul
animas interire: atq oīa morte deleri. plus apud me antiquoꝝ autoritas valet

vel nostroꝝ maioꝝ: qui mortuis tā religiosa iura tribuerūt: qđ non fecissent ꝓfecto: si nihil ad eos ꝑtinere arbitrarent: vel eorū qui in hac terra fuerunt. magnāq; Greciā (que nūc quidē deleta est: tū florebat) institutis et preceptis suis erudierūt. vel eius q̄ Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus: q̄ nō tū hoc: tū illud: vt in plerisq;: sed idē dicebat semꝑ aīos hoīm esse diuinos hisq; cū e corꝑe excessissent: reditū ad celū patere: optimoq; ꝛ iustissimo cuiq; expeditissimū: qđ idē Scipioni videbat: qui idē (quasi presagiret) perpaucis ante mortē diebus: cum et Philus et Manilius adessent: et alij plures: tuq; etiā Sceuola me cōuenisses: disseruit triduū de rep. cuius disputatōis fuit extremū fere de immortalitate aīoꝝ: que se in quiete ꝑ visum ex Affricano audisse dicebat. Id si ita est: vt optimi cuiusq; animus in morte facillime euolet tanq̄ e custodia vinculisq; corꝑis: cui censemus cursum apud deos faciliorē fuisse q̄ Scipioni. Quocirca merere hoc eius euentu: vereor ne inuidi magis q̄ amici sit. Sin aūt illa verior: vt idē interitus sit aīoꝝ et corpoꝝ: nec vllꝰ sensus maneat: vt nihil boni est i morte: sic certe nihil mali. Sensu eñ amisso fit idē quasi natus nō esset oīo. Quē tñ esse natū et nos gaudemus: et hec ciuitas dū erit letabit. Quāobrē cū illo quidē: vt supra dixi: actū optime: est mecū aūt incōmodius: quem fuit equiꝰ vt prius introierā in vitā: sic prius exire de vita. Sed tñ recordatione nostre amicicie sic fruor: vt beate vixisse videar: q: cū Scipione vixerim: quo cū mihi coniūcta cura de rep. et de ꝑuata fuit: quo cū domus fuit: et milicia cōmunis: et id in quo est oīs vis amicicie: voluntatū: studioꝝ: sententiarū summa ꝯsensio. Itaq; nō tam ista me sapientie (quā mō Fannius cōmemorauit) fama delectat: falsa ꝑsertim q̄ q amicicie nostre memoriā spero sempiternā fore. Idq; mihi eo magis est cor-

di: q ex oībus seculis vix tria aut quatuoꝛ nominant̄ paria amicoꝝ. quod in genere sperare video: Scipionis amiciciam et Lelij notam posteritati fore. ¶ Fannius. Istud quidē Leli ita necesse est. Sed qm̄ amicicie mentionē fecisti et sumus ociosi: pgratū mihi feceris: spero itē Sceuole: si (quēadmodū soles de ceteris rebus cū ex te querunt) sic de amicicia disputaris: quid sentias quales existimem: que precepta des. ¶ Sceuola. Mihi vō erit gratū: atqꝫ id ipm̄ cū tecū agere conarer Fannius anteuertit. Quāobrē vtriqꝫ nostrū gratum admodū feceris. ¶ Lelius. Ego vō nō grauarer si mihi ꝯfiderē: nā et pclara visa res est: et sumus (vt dixit Fannius) ociosi. Sꝫ quis ego sum: aut que in me facultas: doctoꝝ est ista ꝯsuetudo atqꝫ Grecoꝝ: vt his ꝓponat̄ de quo disputent: q̄uis subito. Magnū opus est egetqꝫ exercitatiōe nō parua. Quā obrē que disputari de amicicia possunt ab eis censeo petatis qui ista ꝓfitent̄. Ego vos hortari tantū possum: vt amiciciā oībus reb⁹ hūanis anteponatis. Nihil est em̄ tā nature aptū: tā ꝯueniens ad res vel secundas vel aduersas. Sed hoc primū sentio: nisi in bonis amiciciā esse non posse: neqꝫ id ad viuū reseco: vt illi q̄ ex subtilib⁹ dixerūt fortasse vere: ꝫ ad cōmunē vtilitatē parū. Negant em̄ quenqꝫ virū bonū esse nisi sapientē. Sit ita sane. Sꝫ eā sapientiā interpretant̄: quā adhuc mortalis nemo est ꝯsecut⁹. Nos aūt ea que sunt in vsu: vitaqꝫ cōmuni: nō ea que finguntur aut optant̄ spectare debem⁹. Nūqꝫ ego dicā C. Fabriciū. M. Curiū. T. Coruncaniū (q̄s sapiētes nostri maiores iudicabāt) ad istoꝝ normā fuisse sapientes. Quare sibi habeāt sapientie nomē et inuidiosū et obscurū: concedātqꝫ vt hi boni viri fuerint: neqꝫ id quidem facient. negabūt id nisi sapienti posse ꝯcedi. Agamus igit̄ pingui minerua: vt aiūt qui ita se gerūt: ita viuūt: vt eoꝝ ꝓbet̄ fides: integritas: eq̄litas: libe

ralitas: nec ſit in eis vlla cupiditas: vel libido: vel audacia: ſintqꝫ magna
cōſtantia (vt hi fuerūt q̃s ante nomiaui) hos viros bonos) vt habiti ſunt
ſic etiā appellandos eſſe putem⁹: qui aſſequunt̃ q̃ꝫtū hoīes poſſunt: naturā
optimā recte viuendi ducē. Sic eñ bene ꝑſpicere videor ita natos eſſe nos: vt
inter oñes eſſet ſocietas quedā: maior aūt vt q̄ſquis ꝓxime accederet. Itaqꝫ
ciues pociores ſunt q̃ꝫ ꝑegrini: et ꝓpinqui q̃ꝫ alieni: cū his eñ amiciciā na-
tura ip̄a peperit. ẜ ea nō ſatis habet firmitatis. Nanqꝫ hoc preſtat amicicia
ꝓpinquitati: ꝙ ex ꝓpinquitate beniuolentia tolli poteſt: ex amicicia aūt non
poteſt. ſublata eñ beniuolentia amicicia nomē tollit̃: ꝓpinquitatis manet.
Quanta aūt vis amicicie ſit ex hoc intelligi maxīe poteſt: ꝙ ex infinita ſocie-
tate generis hūani (quā ꝯciliauit ip̄a natura) ita ꝯtracta res eſt ⁊ adducta in
anguſtū: vt oīs charitas aut inter duos aut inter paucos iungeret̃. Eſt aūt
amicicia nihil aliud: niſi oīm diuinarū humanarūqꝫ rerū cū beniuolentia et
charitate ſumma conſenſio. Qua quidē haud ſcio an (excepta ſapia) quicq̃ꝫ
melius homī ſit a diȷ̈s immortalib⁹ datū. Diuitias aliȷ̈ preponūt: bonā aliȷ̈
valitudinē: aliȷ̈ potentiā: aliȷ̈ honores: multi etiā voluptates: beluaꝝ hoc
q̄dē extremū eſt: illa aūt ſuꝑiora ſunt caduca et incerta: poſita nō tā in noſ-
tris ꝯſiliȷ̈s q̃ꝫ in fortune temeritate. Qui aūt in virtute ſummū bonū ponūt:
preclare illi quidē: ẜ hec ip̄a virtus amiciciā gignit et continet. nec ſine v̄tute
amicicia eſſe vllo pacto poteſt. Iā virtutē ex ꝯſuetudīe vite ſermoniſqꝫ noſtri
interpretemur. nec meciamur eā: vt quidā indocti: verboꝝ magnificentia:
viroſqꝫ bonos eos qui habent̃ numerem⁹ Paulos: Catones: Caios: Scipi
ones: Philos. his ꝯmunis vita ꝯtenta eſt. Eos aūt omittam⁹ q̄ oīno nuſq̃ꝫ
repiant̃. Tales igit̃ inter viros amicicia tantas oportunitates habet: quantas

vir queo dicere. Principio qs potest esse vita vitalis (vt ait Ennius) qui nō
in amici mutua beniuolentia ꝯquiescat. quid dulcius q̄ʒ habere quo cū omnia
audeas sic loqui vt tecū? Quis esset tant⁹ fructus in ꝓsperis rebus: nisi ha
beres q̄ illis eque ac tu ipse gauderet. Aduersas vero res ferre difficile esset sine eo
qui illas grauius etiā q̄ʒ tu ferret. Deniqʒ cetere res que expetunt̄ opoꝛtūe sunt
singule rebus fere singulis. diuitie vt vtare: opes vt colare: honores vt lau-
dare: voluptates vt gaudeas: valitudo vt doloꝛe careas ⁊ muneribus fun-
gare corpis. Amicicia plurias res ꝯtinet: quoquo te verteris presto est: nullo
loco excludit: nūq̄ʒ intempestiua: nūq̄ʒ molesta est. Itaqʒ nō aqua: nō igni
nō aere (vt aiūt) plurib⁹ locis vtimur q̄ʒ amicicia. Neqʒ ego nūc de vulgari
aut de mediocri (que tn̄ ipa delectat et ꝓdest) ß de vera et ꝑfecta loquoꝛ: q̄lis
eoꝝ q̄ pauci nominant̄ fuit. Nā et secundas res splendidioꝛes facit amicicia et
aduersas ptiēs ꝯmūicāsqʒ leuioꝛes Cūqʒ plīmas ⁊ maxias ꝯmoditates amici
cia ꝯtineat: tū illa nimirū prestat oībus q̄ bona spe preluceat in posterū. Nec
debilitari aīos aut cadere patit̄: verū etiā iā amicū qui intuet̄: tāqʒ exēplar
aliqd intuet̄ sibi. Quocirca et absentes adsunt: et egentes abundāt: et imbe-
cilli valent: et qd difficilius dictu est moꝛtui viuūt. Tanto eos honos meōria
et desideriū ꝓsequit̄ amicoꝝ. ex quo illoꝝ mors beata videt̄: hoꝝ vita lauda-
bilis. Qr si exemeris ex rerū natura beniuolentie coniūctionē: nec dom⁹ vlla:
nec vrbs stare poterit: nec agri quidē cultus ꝑmanebit. Id si minus quidē in
telligit̄ quanta vis amicicie concoꝛdieqʒ sit: ex dissensionibus atqʒ discoꝛdijs
percipi pōt. Que enī dom⁹ tā stabilis: que tā firma est ciuitas: que nō odijs
et dissidijs fundit⁹ possit euerti. Ex quo q̄ʒtū boni sit in amicicia iudicari pōt
Aggrigentinū doctū quendā virū carminibus Grecis vaticinatū ferunt: que

De Amicitia.

in rerũ natura totoq3 mũdo ꝯstarent : queq3 mouerent ea ꝯtrahere amiciciã : dissipare discordiã. atq3 hoc quidẽ omnes mortales et intelligunt et reprobant Itaq3 si qñ aliqđ officiũ extitit amici in piculis : aut adeundis : aut communicandis : quis est qui id nõ maximis efferat laudib⁹. Qui clamores tota cauea nup in hospitis atq3 amici mei M. Pacuuij fuerũt noua fabula : cũ ignorãte rege vter eorũ esset Orestes. Pylades Orestẽ se esse diceret vt ꝓ illo necaretur : Orestes aũt : ita vt erat : Orestẽ se esse ꝑseueraret : stantes plaudebãt manib⁹ in re ficta. Quid arbitramur in vera fuisse facturos : Facile indicabit natura vim suã : cũ hoĩes qđ facere ipi nõ possent : id recte fieri in altero iudicarent. Hacten⁹ mihi videor de amicicia qđ sentirẽ potissime dixisse. si q̃ preterea sunt (credo aũt multa) ab his (si videbitur) q̃ ista disputãt queritote. ¶ Fannius. Nos aũt a te potius : quanq̃3 etiã ab istis sepe quesiui et audiui : nõ inuitus equidẽ : ꝭ aliud quoddã expetimus filũ oratõis tue. ¶ Sceuola. Tu magis id diceres Fanni : si nup in hortis Scipionis (cũ est de rep. disputatũ) affuisses qualis tũ patronus iusticie fuit ꝯtra accuratã orationẽ Phili. ¶ Fannius. Facile id quidẽ fuit iusticiã iustissimo viro defendere. ¶ Sceuo. Quid amiciciã ? Nõne facile ei erit : q̃ ob eã summa fide constantia iusticiaq3 seruatã maximã cepit gloriã. ¶ Leli⁹. Vim hoc quidẽ est afferre. Quid eñi refert qua me ratiõe cogatis. Cogitis certe. Studijs eñ gener (ꝑsertim in re bona) tũ difficile est : tũ ne equũ quidẽ obsistere. Sepissime igitur mihi de amicicia cogitanti : maxime illud ꝯsiderandũ videri solet : num ꝓpter imbecillitatẽ atq3 inopiã desideranda sit amicicia : vt in dandis recipiendisq3 meritis : quo quisq3 minus per se posset : id accipet ab alio vicissimq3 redderet : an esset hoc quidẽ ꝓpriũ amicicie : ꝭ antiquior et pulchrior : et magis a natura ipa ꝑfecta alia causa esset.

Amor eñ ex quo amicicia est nominata princeps est ad beniuolentiã coniun-
gẽdã. Nã vtilitates quidẽ etiã ab his ꝑ[illegible]piũtur sepe: que simulatõe amicicie
colunt̄ et obseruant̄ causa tpis. In amicicia aũt nihil fictũ: nihil simulatum
et q̇cq̇d est ꝛdẽ verũ et voluntariũ est. Qua ꝓpter a natura mihi videt̄ potius
q̄z ab imbecillitate orta amicicia. Et applicatõe magt̄ animi cũ quodã sensu
amandi q̄z cognitiõe quãtũ illa res vtilitat̄ esset habitura. Qd quidẽ quale
sit etiã in bestijs quibusdaz aiadúerti potest: que ex se natos ita amant ad
qddã tempus: ꝛ ab eis ita amãtur: vt facile eoꝝ appareat sensus. qd in hoĩe
multo est euidentius. Primũ ex charitate que est inter natos et parentes: que
dirimi (nisi detestabili scelere) nõ potest: deĩde cũ similis sensus extitit amor
si aliquẽ nacti sumꝰ cuius cũ moribus et natura congruamꝰ: qd in eo quasi
lumen aliqd ꝓbitatis et virtut̄ ꝓspicere videamur. Nihil est eñ amabilius
virtute: nihil qd magis alliciat hoĩes ad diligendũ. Quippe cũ ꝓpter v̄tutẽ
et ꝓbitatẽ eos etiã quos nũq̄z vidimus quodãmõ diligamꝰ. Quis est eñ qui
C. Fabricij. M. Curij cũ charitate aliqua ꝛ beniuolẽtia memoriã nõ vsurpet:
quos nunq̄z viderit. Quis aũt est q̇ Tarquiniũ Supbũ. qui P. Cassiũ Spu.
Meliũ nõ oderit. Cũ duobꝰ ducibus de imꝑio est ĩ Italia decertatũ Pyrrho
et Hannibale: ab altero ꝓpter ꝓbitatẽ eius nõ alienos aĩos habemꝰ: alteꝝ
ꝓpter crudelitatẽ semꝑ hec ciuitas oderit. Qꝛ si tanta vis ꝓbitatis est: vt eã
vel in eis quos nũq̄z vidimus: vel qd magis est in hoste etiã diligamꝰ: quid
mirũ est si animi hoĩm moueant̄: cũ eoꝝ quibꝰ cũ vsu coniũcti esse possint:
virtutẽ et bonitatẽ ꝓspicere videãtur: q̄zq̄z ꝯfirmatur amor et beneficio ac-
cepto et studio ꝑfecto et ꝯsuetudie adiuncta. Quibꝰ rebus qd illũ primũ motũ
animi et amoris adhibit̄: mirabilis quedã exardescit beniuolẽtie magnitudo

q̃z si q̃ putãt ab imbecillitate ꝓficisci. vt sit amicicia ea ꝑ quã assequatur qđ
q̃sq3 desideret. humilẽ sane relinquũt et minime gloriosũ3 (vt ita dicã) ortũ ami-
cicie: quã ex inopia atq3 indigentia natã volunt. Q si ita esset vt q̃sq3 valitu
dinis minimũ esse in se arbitraretur ita ad amiciciã esset aptissimus. qđ longe
secus est. vt eñ plurimũ sibi quisq3 ꝯfidit. et vt q̃sq3 maxie virtute et sapia sic
munitus est vt nullo egeat: suaq3 oĩa i semetipo posita iudicet. ita in ami-
cicijs expetendis colendisq3 maxie excellit. Quid eñ erat Affricanus indigens
mei? mime hercule. At ne ego quidẽ illius: ſ ego admiratiõe quadã virtutis
eius ille vicissim opinione fortasse nõnulla quã de meis moribus habebat me
dilexit: auxit beniuolentiã ꝯsuetudo. ſ q̃z q̃z vtilitates multe et magne ꝯsecute
sunt: nõ sunt tñ ab eax spe cãe diligẽdi ꝓfecte. Vt eñ benefici liberalesq3 sum⁹
nõ vt exigam⁹ graciã (neq3 eñ beneficia feneramur) ſ natura ꝓpensi ad li-
beralitatẽ sum⁹: sic amiciciã nõ spe mercedis adducti: ſ q oĩs eius fructus in
ipo amore est: expetendã petam⁹. Ab his q̃ pecudũ ritu ad voluptatẽ oĩa re-
ferũt longe dissentimus: nec mirũ. Nihil eñ altũ: nihil magnificũ ac diuinũ
suscipere possunt q̃ oẽs suas cogitatões abiecerũt in rẽ tã humilẽ tãq3 con
temptã. q̃z ob rẽ os quidẽ ab hoc sermone remoueam⁹. Ipsi aũt intelligam⁹
a natura gigni sensũz diligendi: ⁊ beniuolentie charitatẽ facta significatione
ꝓbitatis: quã q̃ appetiuerũt applicãt sese: et ꝓpius admouẽt: vt et vsu ei⁹
(q̃ nẽ diligere ceperũt) fruant et morib⁹: sintq3 pares in amore et equales: ꝓ-
pensioresq3 ad bene merendũ q̃z ad reposcendũ. atq3 hec inter eos sit honesta
ꝯcertatio. Sic et vtilitates ex amicicia maxie capient: et erit eius ortus a na-
tura: q̃z ab imbecillitate et grauior et verior. Nã si vtilitas amicicias ꝯgluti-
naret: eadẽ ꝯmutata dissolueret. Sz q: natura mutari nõ potest: iccirco vere

amicicie sempiterne sunt. Ortũ quidẽ amicicie videtis: nisi quid adhuc forte vultis. ¶ Sceuola. Tu vero pge Leli. pro hoc enĩ qui minor est natu meo iure respondeo. ¶ Fannius. Recte tu quidẽ. quãobrẽ audiamus. ¶ Lelius.

Udite vero optimi viri ea que sepissime inter me et Scipionẽ de amicicia disserebanť. Quanq̃ ille quidẽ nihil difficilius esse dicebat: q̃ȝ amiciciã vsq̃ ad extremũ vite diẽ pmanere. Nã vel vt nõ idẽ expediret vtriq̃ incidere sepe: vel vt de rep. nõ idẽ sentirent. Mutari etiã mores hoĩm sepe dicebat: alias aduersis rebus: alias etate ingrauescente. atq̃ earũ rerũ exemplũ ex similitudine capiebat ineuntis etatis: q̃ summi puerorum amores sepe vna cũ pretexta et toga deponerenť. Sin autem ad adulescentiã pduxissent: dirimi tñ interdũ contentõe: vel luxurie pditione: vel pmodi alic⁹ qđ idem adipisci vterq̃ nõ posset. Quod si q̃ longius in amicicia pfecti essent: tñ sepe labefactari si in honoris ptentionẽ incidissent. Pestẽ enĩ maiorẽ esse nullã in amicicia: q̃ȝ in plerisq̃ cupiditatẽ. In optimis q̃buscũq̃ honoris certamẽ et glorie. Ex quo inimicicias maximas sepe inter amicissimos extitisse: magna etiã dissidia: et plerũq̃ iusta nasci: cũ aliq̃d ab amicis: qđ rectũ nõ esset: postularetť: vt aut libidinis ministri: aut adiutores essent ad iniuriam. Qđ qui recusarent (q̃uis honeste id facerent) ius tñ amicicie deserere arguerenť ab his q̃b⁹ obseq̃ nolleť. Illos aũt qui quiduis ab amico auderẽt postulare postulatõe ipa pfiteri oĩa se amici causa esse facturos: eorum querela inueterata nõ mõ familiaritates extingui solere: sȝ etiã odia gigni maxima atq̃ sempiterna. Hec itaq̃ multa q̃si fata impendere amiciciis: vt oĩa subterfugere: non mõ sapientie sȝ etiã felicitatis diceret sibi videri. Quã ob rẽ id primũ videam⁹ si placet: quaten⁹ amor in amicicia pgredi debeat. Nũ si Coriolanus habuit amicos: ferre ptra pa-

triā arma illi cum Coriolano debuere? Nū Becillinū amici regnū appetentē? Nū Sp. Meliū iuuare debuerunt. Tiberiū quidē Gracchū remp. vexantē a Quinto Tuberone equalibusqꝫ amicis derelictū videbamus. At C. Blosius Cumanus hospes familie nostre Sceuola: cū ad me: qui aderā cū Lenate et Rutilio ꝯsulibus in ꝯcilio: deprecatū venisset: hanc vt sibi ignoscerē causam afferebat: ꝙ tāti Tiberiū Gracchū fecisset: vt quicqd ille vellet sibi faciendū putaret. Tū ego: etiā ne inqꝫ si te in capitoliū faces ferre vellet? nunqꝫ inquit voluisset id quidē: ꝟ si voluisset paruissem. Videtis qꝫ nefaria vox: ⁊ hercule ita fecit: vel plus etiā qꝫ dixit. Nō enī paruit ille Tiberij Gracchi temeritati: ꝟ etiā prefuit: nec se comitē illius furoris: ꝟ ducē prebuit. Itaqꝫ hac amentia questione noua ꝑterritus in Asiā ꝓfugit: ad hostes se ꝯtulit: penas reipub. graues iustasqꝫ ꝑsoluit. Nulla est igit̄ excusatio peccati: si amici causa peccaueris. nā cū conciliatrix amicicie virtutis opinio fuerit: difficile est amiciciam manere si a virtute defeceris. Qꝫ si rectū statuerim⁹: vel ꝯcedere amicis qcqd velint: vel impetrare ab amicis quicqd velim⁹: ꝑfecta quidē sapiā sumus: si nihil habeat res vicij. Sꝫ loquimur de his amicis qui añ oculos sunt qs videmus: aut de quib⁹ memoriā accepim⁹: aut qs nouit vita ꝯmunis. Ex hoc nūero nobis exēpla sumenda sunt: et eoꝝ qdē maxie q ad sapiaꝫ ꝓxie accedūt Vidim⁹ Paulū Emiliū C. Luscinio familiarē fuisse (sic a patrib⁹ accepim⁹) bis vna ꝯsules et collegas i censura: tū etiā cū his: et inter se ꝯiūctissimos fuisse M. Curiū et T. Coruncaniū memorie traditū est. Igit̄ ne suspicari quidez possumus quenqꝫ hoꝝ ab amico quicqꝫ ꝯtendisse: qd ꝯtra fidē: ꝯtra iusiurandū: ꝯtra remp. esset. Nā hec quidē in talib⁹ viris qd attinet dicere? si contendissent scio impaturos non fuisse: cū illi sanctissimi viri fuerint. Eque aūt

nefas sit tale aliquid et facere rogatū ⁊ rogare. At vo T. Gracchū sequebant̃
C. Carbo C. Cato: et minime tūc quidē C. frater: nūc idē acerrim⁹ inimic⁹.
Hec igit̃ prima lex ī amicicia sanciat̃: vt ne rogem⁹ res turpes: nec
faciam⁹ rogati. Turpis em̄ excusatio est et minime accipienda: tū in
ceteris peccatis: tū si quis ꝯtra remp. se amici causa fecisse fateatur. Etem̄ eo
loco Fanni et Sceuola locati sum⁹: vt nos longe ꝓspicere opteat futuros ca-
sus reip. deflexit em̄ iā aliq̄ntulū de spacio curriculoq̧ ꝯsuetudo maioꝝ. Tibe-
rius Gracch⁹ regnū occupare conat⁹ est: vel regnauit is quidē paucos men-
ses: nūquid simile ppl's Ro. audierat aut viderat: hūc etiā post mortē secuti
amici et ꝓpinqui. Quid in P. Scipione Nasicā effecerint: sine lachrymis non
queo dicere. Nā Carbonē q̄z: quē mō potuim⁹ ꝓpter recentē penā Ti. Grac
chi sustinuim⁹. De C. Gracchi aūt tribunatu quid expectē: nō libet augurari
Scripsit em̄. deiñ res que ꝓcliuis ad ꝑnitiē: cū semel cepit labit̃. videtis in ta-
bella iā ante q̄nta sit facta labes: p̄mo Gabinia lege: biennio aūt post Cassia
Videre iā video: ppl'm Ro. a senatu disiunctū multitudīsq̧ arbitrio res ma-
ximas agi. Plures em̄ discent queadmodū hec fiant: q̄z queadmodū his re-
sistat̃. Quorsū hec: q: sine socijs nēo quicq̄z tale conat̃. Percipiendū est igit̃
bonis vt si in eiusmōi amicicias ignari casu aliquo inciderit: ne existiment ita
se alligatos: vt ab amicis in magna re aliqua in rep. peccantib⁹ nō discedant
Improbis aūt pena statuenda est: nec minor vo his qui secuti erāt alteꝝ: q̄z
his qui ipi fuerint impietatis duces. Quis clarior ī Grecia Temistocle: quis
potentior: q̄ cū impator bello Persico: seruitute Greciā liberasset: ꝓpter que
inuidia in exiliū missus esset: ingrate patrie inuidiā nō tulit: quā ferre debuit.
Fecit idē qd viginti annis an̄ apud nos fecerat Coriolan⁹: his adiutor cōtra

patriā inuentus est nemo. Itaq; mortē sibi vterq; ɔsciuit. Quare talis impro boꝝ ɔsensio: nō mō excusatōe amicicie tegenda nō est: ꝫ potius omni supplicio vindicanda: vt ne quis concessuz putet: amicū bellum patrie inferentem sequi. Qd quidē vt res cepit ire: haud scio an aliqn̄ futurū sit. Mihi aūt non minori cure est: qualis resp. post mortē meā futura sit: q̄z qualis hodie sit.

Hec igit̄ prima lex amicicie sanciat̄: vt ab amicis honesta petam⁹ amicoꝝ causa honeste faciam⁹: neq; expectem⁹ quidē dū rogemur: ꝫ studiū sp̄ adsit: contatio absit: consiliū verū dare gaudeam⁹ libere: plurimū in amicicia amicoꝝ bene suadentiū valet autoritas: eaq; adhibeat̄ ad monendū: nō mō apte: ꝫ etiā acriter: si res ipa postulabit: et autoritati adhibite pareat̄. Nā quibusdam quos audio sapientes fuisse in Grecia: placuisse opinor mirabilia quedā: ꝫ nihil est qd illi nō ɔsequant̄ suis argutijs: partim fugiendas esse nimias amicicias: vt ne necesse sit vnū solicitū esse ꝓ plurib⁹: satis supq; esse sibi suarū cuiq; rerū curā. Alienis nimis implicari molestū esse q̄z cōmodissimū esse laxissimas habenas habere amicicie: q̄s vel obducas cū velis: vel remittas. Caput enī esse ad beate viuendū securitatē: qua frui non possit anim⁹: si taq̄z parturiat vn⁹ ꝓ plꝰibus. Alios aūt dicere aiūt: etiā mlto inhūanius: quē locū breuiter ɔstrinxi pauloan̄: presidij adiumentiq; causa: nō beniuolentie neq; charitatis amicicias esse expetendas: itaq; vt q̄sq; minimū firmitatis habeat: minimūq; viriū: ita amicicias appetere maxie: ex eo fieri vt mulierculę magis amiciciaꝝ ꝓsidia querant q̄z viri: & inopes q̄z opulenti: et calamitosi q̄z hi q̄ putant̄ beati. O preclarā sapiaz. Solē enī e mundo tollere videnť q̄ amiciciā e vita tollūt: qua a dijs immortalib⁹ nihil melius habem⁹ nihil iucundi⁹. Que est enī ista securitas specie q̄dē blanda: ꝫ re ipa a se multis

locis repudianda. Neqꝫ em̄ est ꝯsentaneū vllā honestā rē actionē ue: ne sollicitus sis: aut nō suscipe: aut susceptā deponere. Qꝫ si curā fugim⁹: v̓tus fugienda est: que necesse est: vt cū aliq̄ cura res sibi ꝯtrarias aspnat̄ atqꝫ oderit vt bonitas maliciā: tēpantia libidinē: ignauiā fortitudo. Itaqꝫ videas reb⁹ iniustis iustos maxīe dolere: imbecillibus fortes: flagiciosis modestos. Ergo hoc ꝓpriū est animi bene ꝯstituti: et letari bonis reb⁹: et dolore ꝯtrariis. Quā ob rē si cadit in sapientē animi dolor: qui ꝑfecto cadit nisi ex eius anīo extirpatā hūanitatē arbitremur. que causa est vt amiciciā funditꝰ tollam⁹ e vita: ne aliq̄s ꝑpter eā suscipiam⁹ molestias. Quid em̄ interest (motu animi sublato) nō dico inter pecudē et hoīez: ꝫ inter hoīez aut saxū aut truncū aut q̄duis generis eiusdē. Neqꝫ em̄ sunt isti audiēdi qui virtutē durā et q̄si ferreā esse quandā volūt: que quidē est tū multis in reb⁹: tū in amicicia tenera atqꝫ tractabilis: vt et bonis amici q̄si diffundatur et incōmodis ꝯtrahant̄. Quā ob rem angor iste qui ꝓ amico sepe capiendus est: nō tantū valet vt tollat e vita amiciciā: nō plusq̄ꝫ vt v̓tutes: q̄ꝫ nōnullas curas ⁊ molestias afferūt: repudient̄. Cū aūt ꝯtrahat virtus amiciciā (vt supra dixi) si qua significatio virtutis eluceat: ad quā se similis ani⁹ applicet et adiungat: id cū ꝯtingit: amor ibi exoriat̄ necesse est. Quid em̄ tā absurdū q̄ꝫ delectari multis inanib⁹ rebus: vt honore: vt gloria: vt edificio: vt vestitu cultuqꝫ corporis. Anīo aūt virtute p̄dito eo q̄ vel amare: vel (vt ita dicā) redamari possit nō admodū delectari. Nihil est em̄ remūeratiōe beniuolentie: nihil vicissitudine studioꝝ officioꝝqꝫ iucundius. Qꝫ si etiā illud addim⁹ qđ recte addi potest: nihil est qđ ad se rem vllā tā alliciat et tā attrahat q̄ꝫ qđ amiciciā similitudo. Concedit̄ ꝑfecto esse verū vt bonos boni diligāt: asciscantqꝫ sibi q̄si ꝓpinquitate ꝯiunctos atqꝫ

